

**Dissertatio inauguralis medica de ignobili muco ingrato multorum nobilium hospite ... / [Clamer Herman Hoffbauer].**

**Contributors**

Hoffbauer, Clamer Herman.  
Juncker, Johann, 1679-1759

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hilligeri, [1734]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mt79xkt5>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

29

DISSSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
IGNOBILI  
**M V C O**  
INGRATO  
MVLTORVM NOBILIVM HOSPITE  
ADNUENTE <sup>QVAM</sup> NUMINE DIVINO  
<sup>AT QVE AVCTORITATE</sup>  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,  
*IN ALMA REGIA FRIDERICIANA*  
PRÆSIDE  
VIRO  
DOCTRINA ET EXPERIENTIA CLARISSIMO  
**JOANNE JVNCKERO**  
MEDICINAE DOCTORE  
EIVSDEMQUE PROFESSORE, PVBL. ORDINARIO,  
PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO  
AETERNUM VENERANDO,  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS  
HORIS LOCOQUE CONVENTIS  
DIE SEPTEMBR. A. MDCCXXXIV.  
IN AUDITORIO MAIORI  
EVVRUDITORVM EXAMINI SVBIICIT  
AVCTOR  
**CLAMER HERMAN HOFFBAVER**  
BIELEFELDENSI WESTPHALVS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

THE HISTORY OF  
THE CHURCH OF  
ENGLAND  
BY  
J. H. SPEDDING  
IN  
THREE VOLUMES  
VOLUME THE FIRST  
CONTAINING  
THE HISTORY OF  
THE CHURCH OF  
ENGLAND  
FROM THE  
EARLIEST  
TIMES  
TO  
THE  
REIGN  
OF  
CHARLES  
I.



## PROLOGVS.



Mnium ac singularum corporis  
humani partium ea est admiranda  
textura & structura lon-  
ge artificiosissima, vt alia non in-  
veniatur , qua cum comparari  
illa vñquam possit. Siue e-  
nim proportio, siue numerus, siue denique par-  
tium spectetur usus , ubiuis sapientiae plus quam  
humanae reperientur vestigia. Quare Dei existen-  
tiam ex *cordis* inspectione demonstrare potuit G.  
ALB. HAMBERGERVS *Conf.eius fascic.diss.* Macro-  
cosmo in omnibus pene similem esse *microcosmum*,  
IO. van HORNE etiam probauit, quos conatus vbe-  
riori obseruationum adparatu perpoluit & auxit  
IO. MAVR. HOFFMANNVS *iunior.* & ipse PLV-

TARCHVS lib.de frat. am.p.m.374. de illis partibus,  
quæ singularem numerum excedunt eleganter  
differit: *Natura in ipso corpore pleraque necessaria*  
*fecit duplia, germana & gemella, manus, pedes,*  
*oculos aures, nares ; eo significans, omnia hæc salu-*  
*tis & mutui auxilii, non dissidii & pugnae caussa sic*  
*esse diuisa, ipsasque manus in multos atque inæqua-*  
*les scissas digitos, omnium instrumentorum accuratis-*  
*sime & artificiosissime paravit, adeo, ut ANAXA-*  
*GORAS ille priscus humanæ sapientiæ caussam ma-*  
*nibus imputauerit.* Sed quamquam ista, quæ de  
corporis humani fabrica in medium prolata sunt,  
in dubium vocare minime velimus, imo corpus  
hoc organicum omnimodæ perfectionis exem-  
plar esse vltro concedamus: adfirmare tamen si-  
mul cogimur, illud ipsum tam affabre & artifi-  
ciose esformatum corpus nihilo minus hospitium  
quoddam esse multorum hospitum, quorum  
præsentia neque gratiam parit, nec usum ad fert  
ullum, sed molestia e contrario machinam adfi-  
cit, partes lædit, actiones turbat & ipsi interdum  
vitæ periculum minitatur. Non tamen in præ-  
sentia exponemus morborum centurias, quibus  
corpora nostra misere diuexari solent; neque ya-  
ria

ria enumerabimus animalculorum genera, quæ ante tres menses, tanquam *infestos humanorum corporum hospites* sub præsidio *III. HOFFMANNI* dissertatio quædam exhibuit; sed alios quosdam attingemus, qui ex ipso humorum penu prognati, corpus adgrauant & bonæ valetudinis statum quodam modo turbant. Hic tamen neutiquam de omnibus inutilibus & excrementitiis humoribus, qui sæpe ad vitium usque abundant tractabimus: sed lympha stagnante, corrupta aut extrauersata, bile exrementitia, vrina & fæcibus præter missis, de sola seri exrementitii magis viscida portione, nempe de *muco* faciemus mentionem. Hunc vero ad ingratos corporis hospites referre eo minus dubitamus, quo certius compertum habemus, quod copiosior eius prouentus & secretio, subiectis diu noctuque certam pariat molestiam, si quidem frequentior eius excretio, quam continuus adfluxus exposcit, non tantum somnum turbat, sed etiam operibus interdiu peragendis, iterata exscreatione & narium emunctione, remorram iniicit ac inde per quam incommodum euadit. Quia tamen non omnes & singuli hospite isthoc grauati sunt, paulo distinctius subiecta in-

dicare & sub quibus circumstantiis *mucus* hospitium corporis adgrauare, & casu tantum ingratus ac longe molestissimus fieri possit hospes dislerere constituimus. Quod argumentum, vti practicum est, ita vberiore euolutione dignum censuimus; atque illud, ea, qua fieri potest, breuitate, explicare conabimur, bene memores, omne negotium a nobis in specimine academico non ita exhaustum iri, vt ab aliis nihil eidem addi possit in posterum: quantum vero necessarium existimauerimus, hacce occasione non sine spe futuri usus practici cum publico communicabimus.

## CAPVT I.

DE

## MVCI PHYSIOLOGICA CONSIDERATIONE.

## §. I.

**D**E *muco* disputaturis ante omnia incumbit, vt, quid per mucum intellectum velint, perspicue doceant, ne lectores intelligent aliud, aliud vero sentiat auctor. Veteres si consulamus, eos muci vocabulo rarius usos fuisse obseruamus; at de *pituia* multum varieque disputant. Primo enim pituitam quamdam laudant *alimentariam*; quam humorem chy-

chylo perfectiorem esse asserunt, qui in iecinore claboretur. Deinde *aliam* adferunt, quam in diuersis corporis humani partibus, potissimum vero in ventriculo & intestinis colligi debere & secundum naturam ibidem adesse docent. *Vide* GEO. HORSTIVM, qui ad mentem veterum de hoc argumento differuit *tom. I. opp. fol. m. 26. 268.*

### §. II,

Veteres interim, licet prolixè de pituita commentati sint, & morbos inde originem trahentes sigillatim vna cum Symptomatibus recensuerint, & euacuandi modum nec non remedia huic scopo apta prodiderint: tamen quid proprie pituita sit, distincte non elocuti sunt, nisi quod CLAVD. GALENVS *lib. II. de arte curativa* fol. m. 107. scripsérit: quod pituita suapte natura crassus & glutinosus humor sit. Pari obscuritate dixit quoque antiquus auctor quidam *anonymous in libro de medicis definitionibus*, quem Galeno tribuunt f. m. 19. mucus, cerebri expurgatio est, ut princeps animi pars leuationem nanciscatur. Et PAVLVS de SORBAIT, qui ante hos septuaginta annos *Viennæ* floruit, in *opp. med. theoretico-pract. f. m. 13.* perplexe satis differit, dum scribit: ad humores utiles referuntur mucus in articulis, mucilago partium & muscularum, pituita pulmonum, non tamen omnis, cerebri & intestinorum. Inutilis vero est urina, sudor - - - sanguis hemorrhoidalis, mucus coryza &c. Sed hæc omnia lectores incertos magis & confusos quam doctos reddunt, imo ignaros dimittunt.

### §. III.

Statuerunt præterea veteres eorumque sequaces *duplicem*

plicem dari pituitam, scilicet *dulcem venarum* ( forsan subboluit ipsis aliquid de lympha ) omni animanti salutarem valde & naturalem ac nulla euacuatione egentem, & aliam *inutilem*, quam iterum vel *acidam* vel *safam* pronunciarunt. Vid. GALENI lib. II. de nat. facult. cap. 9. f. m. 41. & LAVR. IOVBERTVS in Comment. ad hunc loc. f. m. 196. GALENVS de simpl. med. fac. lib. IV. cap. 16. Ex priori Galeni loco & hoc simul patescit, quod pituitam narium, potius *mucum* vocare voluerit, quando l. c. inquit: *excrementum, quod a cerebro destillat, fortasse nec pituitam quis recte appellat, sed, sicut ē nominari solet, mucum ē grauedinem, græce νοχεῖαν.*

## §. IV.

Cum ergo ex veterum scriptis nec distinctum conceptum de muco formare, neque, quid positum sit, ad discere liceat, ipsi eius descriptionem suppeditabimus: *Mucus ergo nobis est serosa illa lymphæ effatae portio albicans viscida, quæ particulis aqueis, salinis mucido-terrestribus ē pinguibns constat ē postquam a lympha separata ē in diuersarum membranarum glandulis secreta est, etiam in corporis cavitate jumma, media ē infima excernitur.*

## §. V.

Data opera non diximus, cuius dignitatis humor mucus sit, ut eo felicius lites & logomachias euitare possimus; interea, quid de eo tenendum sit, paucis exporemus. Mucus itaque in se spectatus, humor ex crementius est, non tamen prorsus inutilis, veluti vrina & serum orgasticum halituosum. Nam ante suiiectionem e corpore, aliquem corpori præstat usum, quemadmodum ex dicendis patebit.

## §. VI.

## §. VI.

Ante vero, quam in explicando ulterius progrediamur, inscriptiovis in fronte libelli positæ, exponemus sensum. Diximus nimirum: mucum esse multorum nobilium ingratum hospitem; vbi *nobiles* nominando, nobiles quidem proprie tales, hoc est, generis antiquitate & gloria maiorum inclutos viros intelligimus, illis tamen *quos doctrina Eruditio claros Nobiles reddit*, non exclusis; quibus adhuc accensemus lauta diæta quotidie vententes & vitæ in primis sedentariæ deditos, die inner hinter der Feder sißen, oder sonst so commode leben. Quia vero, teste experientia, plures nobilium, cuius cumque tandem ordinis, so wohl von Geschlechts als Buchadel, præcipue quos corpus peregrinando, venando, equitando, aut alio motu genere exercere non piget, hoc muci onus non adgrauat, *multorum* hospitem esse contendimus. Cur vero inferioris subsellii hominum nullam fecerimus mentionem, non ideo factum est, ac si plebeios quosque a muci molestia crederemus immunes; sed quia a potiori semper fieri debet denominatio, nobiles nominaui-  
mus, quamuis plebem eadem subinde pati nulli negemus.

## §. VII.

Cur vero apud nobiles frequentius, quam apud opifices, ruricolas, aurigas & huius generis homines, molestus muci hospes diuertat, vitæ genus in caussa est. Illi enim ob diætam lautiorem & multam quietem ad muci copiam magis se disponunt, cum hi contra viliori victu polyhemiam, motu autem laborioso humorum

B

spissitu-

spissitudinem quotidie auertant, & quod excrementum est, per diaphoresin & diuresin copiose excernant, nec nisi rarius muci experiantur incommoda. Vocabulum tandem *ingrati*, quia æquiucum est, eo non accipimus sensu, quo apud germanos frequenter sumitur, & idem valet ac *undansbar*; sed ingratus hic nobis sonat iniucundus, minime acceptus, molestus.

### §. VIII.

Sed redeundum nobis est in illam, vnde digressi sumus, viam, addendumque illud, quod ad muci theoriam amplius pertinet. Aliquas in veterum scholis receptas pituitæ seu muci differentias supra §. II. & III. iam indicauimus: hic autem porro subiungemus, quod pro ratione *craeos* massæ sanguineæ etiam muci consistentia diversa sit, ad quam *tempestas humida* uel *sicca* imo & partium solidarum *varius tonus* suam conferre solent symbolam. Hoc interim dubio caret, *muci materiam*, quamdiu in humorum massa fluctuat, nimis subtilem & fluxilem esse debere, alias arteriolarum & glandularum poros penetrare & per eos secerni non posset. Notabilem uero spissitudinem ac tenacitatem adquirit mucus, postquam extra motum constitutus diutius in sinibus & membranis hæsit, vbi dissipatis partibus tenuioribus magis crassus, viscidus & tenax euadere aſſollet. Quod autem ad muci *copiam* attinet, illa pro ætatis, temperamenti, vitæ generis, diætæ & habitaculi ratione ita variat, vt hi magis, alii minus eius sentiant incommoda.

### §. IX.

## §. IX.

Corporis regiones, in quibus mucus secerni ac hæ-  
rere solet, §. IV. anticipando quasi nominauimus; su-  
perest, vt sigillatim de iis commentemur. Supremam  
cauitatem, seu caput, & in illo *cerebrum* pituitæ scaturi-  
ginem esse, ab antiquo iam creditum fuit. Et hoc, quia  
*Galenus* dixit. Huic enim alii post ipsum medici oblo-  
qui non sunt ausi. Ita vero *GALENVS* in libro XI. de  
meth. med. cap. 18. scribit: *cerebro* & eius inuolucris mea-  
tum, qui per palatum & nares descendit, proprium esse, ut  
abundans cerebri pituita per eum evacuetur. Et Libro VIII. de  
meth. med. cap. 13. cerebrum non solum per palatum &  
nares, sed etiam per aures expurgari asserit idem. Ita  
in libro de odratus instrumento cap. 6. cerebrum sub spiritus  
emissione pituitam, mucum & grauedinem a se reiicere  
docet. Sane verum est, muci portionem satis notabi-  
lem per nares & os excerni sed illam e cerebro descen-  
dere, argumentis firmioribus, quam sola veterum au-  
toritate, probari debet.

## §. X.

Nouissimis temporibus eo difficilius ista thesis, de  
muco in cerebro & per cerebrum secernendo, locum  
& assennum inuenit, quo certius exploratum est, tenerri-  
mam cerebri fabricam longe præstantiori muneri, quam  
mucositatis secretioni vacare. Liquidum enim nerue-  
um ibi elaboratur & ad neruos, quorum ope sentire de-  
bemus, irrigandos, & in iusta tensione seruandos defer-  
tur, vti pridem euictum est. Vid. Cel. *HOFFMANVS* in  
medic.rat. Syst. tom. I. lib. I. Sect. II. cap. I. Ita PRÆSES huius dis-  
sertationis grauissimus & præceptor meus semper pie  
B 2 colen-

colendus in diff. de Vertigine §. IX. hæc verba posuit: Consentunt hic medici & anatomici, per cerebrum, siue glandulosum, siue vasculosum illud concipias, secerni subtilem liquorem, quem spiritus nomine insigniunt. Quo posito, cerebrum solenne corporis animalis colatorium esse vere adfirmabimus. Conf. IO. DAN. GOHLII scriptum posthumum: Aufrichtige Gedanken über den von Vorurtheilen frakten Verstand p. 74. 78.

## §. XI.

Mucus igitur cum e cerebro immedieate non diffuat, uti multis vero videatur simile, aliunde deriuetur necesse est. Fontem itaque præcipuum indicauit RAYMVNDVS VIEVSESENS in Neurographiæ uniuersalis lib. I. cap. XVI. fol. m. 97. dum membranam pituitariam nominat, quæ tamquam pars glandulosa, fungosa, spongiosa & diuersti generis vasis instructa, apta & ad id comparata sit, vt sanguinis illius, qui ad cerebrum ascendit, partes aquoso-viscida, lentescentes, & excrementitias, pituitæ nomine insignitas, excipiat & excernat, quo priores euadere possent spiritus animales, qui sano sensu liquidum nerueum vocantur. Et fol. 100. seqq. iterato inculcat, hancce membranam, sanguinis expurgationi dicatam, & sinus duos sphænoideos, sex ethmoideos, duos frontales, duos maxillares, palatum & meatus a naribus ad fauces tendentes, inuestientem, veram esse scaturiginem, e qua humores mucosi emanent, quos a cerebro expulsos e caluaria egredi veteres medicinæ proceres crediderunt.

## §. XII.

Quidam, vt secundum vulgarem sententiam pituitam

tam e cerebro promanare probent, ad ipsam *glandulum prouocant pituitariam*, cuius vtpote officium esse credunt, materiam mucosam, a cerebri ventriculis defluentem, inbibere & foras mandare. Sed dubitant de hoc officio recentiores, dicentes, obesse omnino compaetam ac duram pituitariæ substantiam, quominus cerebri mucum inbibere illa possit, cum in primis nudæ inhibitioni simplex canalis potuisset sufficere, quod, quia non factum est, non inepte concludunt, glandulæ huius officiū ac vsum valde esse incertum, æque ac glandulæ pinealis. *Vid. Cel. HEISTERI comp. anat. tom. II. p. 22,* Conferatur etiam laudatus VIEVSSENS lib. I. cap. VIII. *de infundibulo* & cap. IX. *de glandula pituitaria* fol. 53.54. Vbi nusquam dicit, quod glandula isthæc mucum cerebri excipiat, hoc vero adsfirmat: *inter glandulæ pituitariæ partem anticam* & *superstratam crassam meningem ductum breuem* reperiri, qui aliquam partem humoris aquosi, lymphatici e cerebro depluentis per infundibulum admittat, & in bina receptacula sellæ equinæ lateribus adposita exoneret, vnde porro quatuor sinuum sellæ turcicæ adiacentium cavitates subeat, ut *internæ* vtriusque *venæ jugularis* vel *vtriusque vertebralis* & *caue* *descendentis trunci* interuentu, ad *dextrum* *cordis* *ventriculum* descendat.

## §. XIII.

Sufficere potuissent ista de muci scaturigine documenta; verum, ne innouandi studio a vulgari sententia nos dissentire quis existimet, VERHEYENVM in suppl. anat. p. 117. audiat: Putant, inquit, aliqui, mucum pro maiori parte descendere e cerebri cavitatibus per

foramina ossis cribroſi; & inde proueuiſſe videtur, quod homines intelligentes & ſubtilis ingenii dicantur *emundatæ naris*, ac fi illorum cerebrum a crassis illis excremen-  
tis foret bene repurgatum. Verum an aliiquid iſtius muci tranfeat per dicta foramina, ego multum dubito; cum ſingula videantur omnino occludi ſingulis filamen-  
tis neruorum olfactoriorum, per eadem foramina ad na-  
rium cauernulas tranſeuntibus, cum iſla dura matre ossi cribroſo adplicata. Quia denique glandulæ, quæ in præfatis cauitatibus membranæ inhærent, digitis preſſæ eiusmodi humorem viſcoſum eructant, non opus eſt, eumdem e cerebri penetralibus deriuare.

## §. XIV.

Videamus iam reliqua muci organa. Glandulæ co-  
piosæ circa *vuulam* in palati parte posteriori ſitæ, *ton-ſillæ*, quas vulgo amygdalas vocant, *glandule epiglottidis*, *arytænoideæ* & *membrana laryngem inuestiens*, mucum, quem ſecernunt tenuem, lubricandæ tracheæ destinatum, ei-  
dem vnicē adfundunt, nec alium in finem ſtructæ ſunt; quemadmodum glandulæ dictæ *bronchiales* iſpis bron-  
chiis extus adpoſitæ, ſimili officio fungi certum eſt. Oe-  
ſophagi canalis in ſuprema ſuī parte multis glandulis  
minoribus obſitus, non aliter, ac aspera arteria, liqui-  
do quodam irrigatur, vt lubricus ſemper & deglutien-  
dis protrudendis que in ventriculum cibis aptus ferua-  
ri poſſit.

## §. XV.

Infima tandem corporis cauitas glandulis quidem inſignibus, non tamen ad vnum eumdemque ſcopum collineantibus, dotata eſt. Harum aliæ humorem fun-  
dunt

dunt saliualem, aliæ vero mucosum secernunt; de illis iam non erimus solliciti, de his vero notabimus, quod mucum scaturiant tam glandulæ intestinorum tenuium maiores & minores, quam crassorum lenticulares; glandulæ vesiculæ felleæ, vesicæ vrinariæ iuxta huius collum conspicuæ; glandulæ item *Covperi* mucosæ; glandula *Littrii*; aliæque quas *Terraneus* in cauernosa vrethræ virilis parte hinc inde hærere & liquidum lubricans excernere in tract. de glandulis perhibet. *Vid.* Cel. HEISTERI comp. anat. tom. II. p. 31.

## §. XVI.

Si autem aliquis extra tres recensitas corporis cavitates liquidum mucosum secerni & excerni adfirmauerit, nos non habebit contradicentes, quoniam glandulæ mucosæ *Haveri* in artuum iuncturis sitæ, itemque lacunæ seu oscula circa vrethram & os vaginæ uteri humorem mucosum plorantes, reuera extra insignes illas humani corporis cavitates obuiæ deprehenduntur.

## §. XVII.

Cum vero natura nihil frustra fecisse dicatur, muci in corpore humano passim existentis indagandus erit usus; incipiendo a supremo, quod aiunt ventre, & progrediendo ad reliquos. Prius autem, quam de muci secreti usu agamus, de eius secretione generatim notabimus, quod hæc admodum sit necessaria, ut portio illa sanguinis mucido-terrestris & viscida adeoque vere excrementitia & ad humorum fluxilitatem turbandom apta, ab vniuersa sanguinis massæ auferatur, dyscrasia, multorum malorum origo, auertatur & præoccupetur.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Ceterum *vsus ipse*, quem mucus secretus præstare potest, adeo insignis est ac varius, vt auctores eundem merito admirantur. Sic STAHLIVS in *theoria p. 346.* Notabilis est sapientissimi in magna simplicitate artificii, *vsus energia atque summa utilitas*, dum hac ratione ipsum etiam hoc excrementum, quod corpori nihil amplius utile, imo potius intolerabile, *Siamiam ex illo emouendum est*, sub ipso hoc tempore adhuc peculiaribus *vsibus* inseruiat, pluribus in locis.

## §. XIX.

De muco itaque narium, quem membrana mucosa eructat, sigillatim obseruandum, eum maxime utilem esse, primo ad tunicam narium humectandam & emolliendam, vt homo particulas quasuis odoriferas, quæ olfactus organum sensorium adficiunt, percipere facile possit. Secundo eamdem membranam a siccitate, olfactum impedit, defendit & præseruat, & quidem sub spissiori paulo consistentia, vt firmius membranæ adhærere & simul efficacius impedire valeat, quo minus aër continuo adpellens illam exsiccat, sed probe humectatam ac tensam ad olfaciendum idoneam conseruet.

## §. XX.

Vsum ferme eundem, quod ad auertendam siccitatem attinet, præstat mucus faucibus & trachèæ. Has enim exquisito sensu præditas partes, dum blande irrigat, ab ariditate præseruat, quam aura, inter inspirandum adlabens, spissime inducere & molestissimas tussitationes excitare posset. Glandularum œsophagi vsum, cum supra §. XIV. paucis iam indicauerimus, vberius exponere nihil attinet.

## §. XXI.

## §. XXI.

Eximiæ porro vtilitatis est mucus intestinorum tractui adhærens. Hic enim licet ipse excernendus, tamen crassioris adhuc excrementi expulsioni subuenit, quæ sine hoc muco non succederet, sed e contrario certum damnum inferret. Ut vero hæc facilius intelligantur, rotunde dicimus; quod mucus intestinorum aduersus iniurias & noxas fæcum aluinorum ipsis intestinis subueniat, ipsa tam lubrica reddendo, quam fæces simul intermixtione sui molles conseruando, quæ alioquin facile siccescentes certam subituræ essent asperitatem, intestinorum tunicis valde infestam. Defendit porro mucus cum in adultis, tum in embryonibus intestina a bilis acrimonia, ne illa profundius in tunicam eorum penetrando ansam præbeat ardoribus, & varias stricturas ac spasmos post se trahat. *Vid. STAHLII theoria p. 346.*

## §. XXII.

Nec minor usus est ille, qui in vreterum & vesicæ vrinariæ tunicam interiorem ex muco redundat. Utrobique enim dum partes illinit atque obducit, impedit simul, ne vrina transiens, acreidine sua salsa hasce partes rodat & ad crebrius reddendum lotium existimulet. Quibus intellectis opus non est, ut speciatim de muci vrethræ & vesiculæ felleæ usu pluribus agere contendas; quid? quod muci necessitas ac vtilitas tum demum agnoscatur, cum illum per dysenteriam aut cathartica fortiora ab interna intestinorum superficie, vel a vesica per vrinam acrem & falsam, calculos, aut per potulenta non satis fermentata, abrasum sentiamus: illico enim sequitur dolor vrens, acutus, inflammatio, tuni-

C

carum

carum arrosio, & non raro gangræna, internarum inflammationum maxime periculosa.

§. XXIII.

*Haueri glandulæ mucosæ, licet extra tres corporis cavitates in artuum iuncturis obuiæ sint: tamen & istæ egregium suo loco exserunt usum. Nam mucosa materia, per illas secreta, articulationibus inungendis fertur, eo fine, ut ossium artuumque mobilitas conseretur, & motus corporis voluntarius expeditior euadat.*

CAPVT II.

DE  
MVCI PATHOLOGICA EXPLI-  
CATIONE.

§. I.

**M**VCI exsistentiam, naturam & usum capite primo succincta evolutione tradidimus: nunc de abundantia præternaturali & variis, quæ inde propullulant, incommodis distinete erit agendum. Sed in antecessum monemus, mucum non facile ad vitium usque abundare, nisi in valde phlegmaticis & illis subiectis, quæ vitam viuunt ordini naturæ contrariam, hoc est, quæ otiosa quiete fruuntur, & corpus non tam nutriunt, quam saginare student; & hoc non simplici illo & necessario victus genere, quod huic scopo sufficere posset, sed cupediis ex opipara mensa deriuatis, quæ famem non compescunt, sed epulandi libidinem

dinem exstimalant. Atque his demum accidit, vt sanguine abundant & omnibus illis tam leuioribus incommodis, quam gravioribus morbis exponantur, quibus plethorici & cacochymici obnoxii esse solent.

### §. II.

Hæc vti generatim verissima sunt, ita præ reliquis euenire solent nobilibus, quibus opum tanta vis est ac otii tantum, vt ad illas secure consumendas tantummodo nati videantur. Et cum multis eruditorum eadem plane fortuna frui liceat, hinc iisdem sane, ac nobiles *nat' eξοχιν* tales, vexatos videmus malis. Illi contra nobiles ac eruditi, siue sui iuris fuerint, siue principibus ab officiis, qui modum in diæta seruare solent, & præterea subinde peregrinando, saepius venando, aut quocumque alio modo corpus exercent, oeconomicis curis studiose vacant, & per siluas ac montes, campos & valles, agros & hortos, horrea & granaria non mente sed pedibus vagantur, illi quasi exleges, hoc reliquorum onus non sentiunt, sed fani & alacres viuunt. *Vid. Cap. I. §. VI.*

### §. III.

Lautior igitur diæta, seu cibi euchyli & optime nutrientes, bonum quidem ad tempus sanguinem, sed simul nimiam eius quantitatem producunt & quia ob vitam quietam & sedentariam nutritionis negotium plurimum viget, plethora tanto facilius generatur & indies magis augetur; idque eo certius, quo verius esse solet, quod plerique hominum appetitui indulgentes plus adsument alimentorum, quam ad satiandam famem necessarium est.

### §. IV.

Hæc ipsa sanguinis in corpore abundantia, quæ cum

motus voluntarii neglectu tantum non semper coniuncta est, in primis motus circulatorii segnitem inducit, quia magna humorum moles difficilius tardiusque moueri & circumagi potest, quam moderata & facile mobilis eorum quantitas; idcirco, si umquam, hic profecto verissimum est, quod unum malum plurium esse possit origo. Sanguis enim abundans, cuius motus progressius non nisi tardus & valde impeditus est, sensim spissescit & variis incommodis ansam praebet.

## §. V.

Spissescientiam presso quasi pede sequitur vniuersalis humorum dyscrasia, seu portionis excrementitiae & laudabilis commixtio, vasorum nimia distensio, tonilæsio, status cacoehymicus, moliminum hæmorrhagorum & symptomatum hypochondriacorum exacerbatio & pertinacior continuatio; de quibus distinctius agendum erit in sequentibus.

## §. VI.

Vt autem eo melius intelligantur adhuc dicenda, in memoriam reuocandum est, quod massa humorum constet non solum sanguinea rubicunda portione seu sanguine stricte dicto, sed etiam partibus lymphatico-serosis, quæ, si non continuo & vegete moueantur, ob diuersam sui naturam ad firmiter interse coalescendum minime aptam, dyscrasiam facile constituere possunt. Nam particulæ indolis adeo diuersæ, languente (§. IV. huius cap.) motu progressivo, haud difficulter a se inuicem secedunt, magis lentescunt & spissescunt, vt vasa, ob diuturnius seri excrementitii cum lympha commercium, non amplius purum sanguinem sed cra-

ma

ma pulposum mueidum contineant. Dum itaque abundantia seu plethora vna cum spissitudine vrgent, motus proportio ad humores & humorum ad motus vice versa læditur, hoc est, motus, in primis partium solidarum tonicus ita læditur, vt post prægressam & ab humorum abundantia inductam intensionem nimiam, post hac remissior, flaccidiorque euadat ac minus renitatur: vnde maior sanguinis copia ad partes porosas admittitur, & quia motui progressuo non debite succurrit, ipsæ quoque secretiones & excretiones multum retardantur, vt impuritates nec sufficienter sequestrari nec tempestive excerni possint. Deinde spissitudo, quæ per vniuersam massam humorum iam inualuit, caussa est, vt organa colatoria magis magisque obviscerentur ac plane obstruantur. Sic serum debite non excernitur, sed retinetur, & dum subtiliores eius partes passim dissipantur, crassiores remanent & largum muci prouentum constituunt.

## §. VII.

His ergo intellectis in aprico est, in nobilium pluribus, iisdemque similibus, præcipue senioribus & per temperamenti rationem magis dispositis, prouentum muci maiorem frequentioremque esse, quam in laboriosis & simplici victu gaudentibus. In illis enim, vt breuem diætorum repetitionem instituamus, omnia præsto sunt atque conspirant, quæ abunde mucum producere & inde manantia incommoda alere queunt. Videlicet diæta lauta, vita otiosa & motus voluntarii præmeditata quasi intermissio, perpetuos comites habent plethoram, spissitudinem humorum, circuli sanguinis segnitiem, motus tonici flacciditatem, adeoque impuri-

tatum sufflaminatai secretionem, imo colatoriorum obuiscationem, excretionum tarditatem & vniuersalem dyſcrasiam; quæ denuo repetere eo minus piguit, quia paradoxon aliquibus videri posset, in nobilibus, qui optimis ferculis fruuntur, maiorem muci copiam statuere, quam in pauperioribus, qui cibis vilioribus, crassis & muci generationi magis velificantibus vtuntur: sed de his notandum, quod diætæ vilitatem, frugalitate & quotidiano corporis motu, sub quo etiam secretiones & excretiones vegete succedunt, emendent feliciterque vincent.

### §. VIII.

Et ne quis per colatoria, quæ ob spissitudinem humorum obuiscari obstruique solere diximus, colatoria muci forte intelligat & incaute argumentando ita concludat: si obstruuntur muci organa colatoria, ergo eo minor erit muci prouentus, quia per obstructa organa parum aut nihil penetrare potest: tum probe obseruandum commendamus, nos generatim loquendo, ea hic intelligere colatoria, quæ vi sermonis & connexionis intelligere licet. Cum enim Cap. II. §. VI. rationem spissitudinis explicamus: tum adserimus, oriri illam primo ex abundantia nimia, quæ proinde difficulter moueatur. Deinde mentionem facimus, quod retardatus motus progressiuus segnes inuoluat secretiones. Dum vero segnus inpurum a puro, serum a *lympha* secernitur, iusto diutius alterum cum altero versatur & commixtum est; hæc vero commixtio excrementitii cum puriori, purum inquinat, hinc fieri non potest, quin sub otioso inprimis vitæ genere & inualescente dyſcrasia *lymphæ colatoria*,

ria cuiuscumque demum conditionis sint, maxime vero quæ per hepar & mesenterium dispersa sunt, obturantur, & lympha ipsa in mucum pæne abeat, Quo magis ergo vniuersa massa sanguinis in mucum degenerat, eo plus mucositatis potest excerni.

## §. IX.

Facilis iam erit illius circumstantiæ explicatio, quando sæpius nominata subiecta tempore æstiuo, ob leuorem transpirationis suppressionem, aliam vicariam excretionem patiuntur, & vel tussi, vel coryza vel graudine adficiuntur. Vel quando tempore autumnali, hiemali, aut vernali, si præcipue tempestas humido-frigida obtinet, maiorem muci & vrinæ copiam excernunt. Illis enim tempestatibus pororum in corporis peripheria semper maior obseruatur constrictio & transpiratio-nis suppressio, ideo natura, cohita impeditaque excretione vna, aliam auget & organa secretoria & excretoria interna relaxat, vt serum, quod per sudorem non euacuatur, sub vrinæ & muci forma expelli queat.

## §. X.

In quibus itaque subiectis recensitæ circumstantiæ concurrunt, illa indesinenter in exscreando, tussiendo, naribus emungendis & repurgandis occupatos videoas; quo ipso non sibi modo, sed aliis quoque fiunt molesti. Sie führen immer das Schnuptuch in den Händen, und machen durch ihr Qualstern andern Leuthen vielen Ekel. Noctu vbi corpus sub stragulis magis calet, & motus progressiūs auctior est, muci quidem secretio parcior est, dum motus caloris impedit, quo minus serum spissescat; quoniam autem paucum illud, quod no-

nocturno tempore colligitur, per somni rationem non excernitur, tum frequenter fit, vt tonsillæ, glandulæ vnu-  
lares, epiglottidis, arytenoideæ & membrana laryngem inue-  
stiens, muco onerentur, & homines quidam ex somno  
excitentur, quid? quod mucus collectus tracheam in-  
undans respirationem aliquanto impedit & quasi suffo-  
cationem minetur. Vnde subito se erigunt & mucum  
quantocytus reiicere conantur. Ex horum classe sunt,  
qui descensum muci a capite ad fauces semper accusant,  
ac proinde muccinum nocturno tempore iuxta pului-  
nar collocatum habent, imo, si facultas & neruus rerum  
gerendarum concedit, vigiles constituunt, vt illorum fer-  
uitiis suffocatio impediatur.

## §. XI.

Sed non omnia sunt ista, quæ recensuimus muci in-  
commoda, si perpendamus intimiora mala, quibus ho-  
mines, qui muco abundant, obnoxii sunt. Sæpius  
enim contingit, vt simul hepatis, lienis, panc. eatis aut  
aliarum glandularum vel indurations, vel infarctus  
complicentur. Tacemus vniuersum mali hypochondriaci adparatum. Porro non pauci, quos ad muco-  
forum classem referre fas est, etiam asthmatici sunt ob-  
scirrhoas collectiones, in pulmonibus hærentes. Alii  
experiuntur dyspnœam hypochondriacam, quando  
nimicum sanguis hæmorrhoidalí euacuationi finaliter  
destinatus, venam portæ ob spissitudinem penetrare ne-  
quit, sed ad pectus regurgitat, ibique pulmones replet,  
& respirationis libertatem intercipit. Hinc itaque chro-  
nicis morbis plerumque subiecti & valetudinariis perpe-  
tuo accensendi sunt.

## CAPVT III.

DE

MVCI THERAPEVTICA TRA-  
CTATIONE.

## §. I.

**C**Vm igitur pluribus malis tentari sciamus illos, quos mucus adgrauat, operæ omnino erit pretium, solicite dispicere, quibus remediis muci copia imminui, & quomodo a reliquis inde orituris malis præseruari possint ægrotantes, Hic autem ante omnia commendamus *exspectationem*, non quidem otiosam, attamen morbi conditioni congruentem. Nam curatio intra paucos dies absolui nequit, & ipsa subiectorum partim sensibilitas, partim repugnancia aliæque circumstantiæ medicorum consiliis tam validum ponunt obicem, vt quid artis sit, quid ve medi ci salubre valeat consilium, ab ægrorum conditionibus, vitæque genere & moribus solicite sit distinguendum.

## §. II.

Caussam copiosioris muci sanguinis esse spissitudinem, huius vero fundamentum plethoram & otium in præcedentibus satis tradidimus. Cum vero omnis curatio morbi in caussæ sublatione consistat, tum abundantis sanguinis subtractio præcipuum erit curationis momentum. Deinde spissorum humorum resolutio respicienda, & denique ad mali recursum præcauen-

D dum

dum tonica roboratio erit commendanda. Jure autem ab imminutione plethoræ fit initium, quia plurimi morbi *qualitatis a quantitate*, vti supra euictuni est, dependent. Qua propter vt a venæsectione fiat initium necesse est. Ast quam multæ hic occurant offendiones? Quid enim notius est, quid familiarius, quam assertum illud, quod eiusmodi ægrotantes cacochymici sanguine destituti sint, & serum tantum modo vappidum ac impurum possideant; secundum vulgatum elogium **Der Patient habe kein Blut mehr, es sei alles in Schleim und Wasser verwandelt.** Sicut autem ineptis hisce næniis multi per multos annos turpiter seducuntur: ita rationalis practici officium est, vt tanto constantius iusto tramite hic incedat, & huius morbi tam originem quam sustentationem per quantitatis imminutionem remouere admittatur.

### §. III.

Sanguine igitur superfluo detracto, hoc comodi in ægros redundat, vt motus sanguinis progressivus expeditius administrari queat, qui antea tardius successit, quia vis motuum minor erat, quam vt molem humorum crebra circum agitatione superare potuisset, quo vero alacrius circulus sanguinis procedit, eo facilis sperari potest vniuersæ massæ spissioris resolutio. Interea quam maxime hic monendum est & inculcandum, quod venæsectionio nullibi fere plethoræ imminutæ sufficiat, quia pauciores illæ, quæ subtrahentur vinciæ, paucis diebus resarciantur. Quare efficaciora & quidem ex fonte diætetico deriuanda & substituenda erunt

erunt remedia, quæ excedenti plethoræ obicem ponant; de quibus subsidiis mox dicemus.

#### §. IV.

Venæ sectioni subiungenda est *resolutio*, quæ alteram muci corrigendi indicationem format, & duplice ex fonte, videlicet *dæteticō* & *pharmaceutico*, deriuanda est; Quod ad fontem *dæteticum* attinet, parcior cibus, potus largior, & motus corporis sufficiens, plus sane hic præstant, quam optimorum medicamentorum farrago. Immo si dicendum quod res est, solus corporis motus, quando satis exercetur; hic sufficit, & non opus est, commendare & iniungere largiorem potum, quoniam omnes, qui labores perferunt, fiunt siticulosi, & hinc perpetua fere bibendi cupiditate flagrant. Præterea in cibis sumendis *tum* non facile error committitur: nam ventriculus a sapiente natura ita constructus est, ut ipsius capacitas indigentia & consumptio laboriosorum apprime respondeat. Die Natur hat den Töpf nicht grösser gemacht, als es die Nothdurft erfodert.

#### §. V.

Dolendum vero, quod talibus subiectis tam ægre persuaderi possit motus corporis, ceu optimum resoluens, omnibus pharmacis resoluentibus merito ante ponendum, In hac enim re increduli deprehenduntur tam nobiles, quam litterati, partim ex *præconcepta* opinione, ab aliis hausta, partim ex defectu cognitionis physiologicæ. Conf. M. GEORG. HENRIC. AYN *Dissert. de mirabili corporis non aurabilis auratione*

§. XVI. Vnde post multas tergiuersationes, obiectiones, dubitationes s̄epe quidem motum suscipiunt, sed vbi lassitudinem tentiunt, & ob sensibilitatem nescio quo tedium corripiuntur, nec miraculose intra paucos dies se restitutos vident, hastam & clypeum, spem & animum, abiiciunt, consilium acceptum damnant, vanumque solatum in *scrupulosæ diætæ carnificina* & quibusuis stomachicis queritant. Vnde profecto optandum esset, vt ad segnitem & ignauiam sedentiariorum profligandam auctores illi, qui de *medicina gymnastica* scripserunt, magis inclarescerent, & in eiusmodi hominum manibus versarentur. Sæpius quidem excusi sunt *Hieronymi Mercurialis sex egregii libri de arte gymnastica*: sed luxus, otium, & mores nostrorum temporum noua editione indigerent.

### §. VI.

A fonte diætetico ad *pharmaceuticum* nos conuertemus, & quid salutis ex illo haurire possint mucidi, breuiter perlustrabimus. *Resoluentia* audiunt illa remedia, quæ muco corrigendo opponimus, quæque in quatuor præcipue classes diuiduntur. Alia enim diluendo, alia incidendo, porro fermentando alia, alia denique condiendo mucositatem resoluunt. Quod ad *diluentia* attinet, eximiæ utilitatis sunt *decocta* & *infusa* temperate calida, ex herbis & radicibus adpropriatis præparata. Huc etiam pertinent *thermæ*, quæ ope caloris mucidas substantias intimius penetrant & a se inuicem distinent. Porro laudem suam hic tuentur *acidulae*: harum enim & thermarum usus sicut sancta quadum lege cum

cum corporis motu & animi quiete coniunctus est: ita diluens cum diluendo optime subagitatur, & mucidi humores ad vota resoluuntur. Neque decantatum *laetis serum*, die Molden-Cur, hic commendare dubitamus: præter enim effectum diluentem exserit quoque blandam abstersionem & alui solutionem. Ratione autem separationis pinguium & caseofarum partium obseruetur, vt prius, quam lac aceſcat, ſucco quodam acido, e. g. citreo, illa peragatur.

### §. VII.

Hæc simplicior ſpiſſitudinem resoluendi methodus, quæ humectantia simplicia, potiones temperatas, infusa & decocta calida commendat, ſufficere omnino poſſet, quia maſſam ſanguinis crassam diluendo attenuando, & fluidiorem reddendo, omnibus aliis pal- mam præripit. Sed quia mucidorum multi, præci- pue eruditæ, in ſalutari hac simplicitate acquiescere, recuſant; ad alteram classem resoluentium progredimur & ex penu *pharnaceutico* depromimus remedia, quæ incidendo seu penetrando muciditatem resoluunt. Huc pertinēt primum *ſalina*, quæ particulis suis acribus mucum incidendo & dirimendo fluxiorem reddunt: Præ aliis laudantur ſalia media, e. g. arcanum dupli- carum, nitrum antimoniatum, tartarus vitriolatus &c. Hæc enim effectum ſuum non ſolum in primas regio- nes, vt vulgo creditur, ſed re vera in maſſam quoque humorum exſerunt: Deinde conducunt *ſalino-sulphurea* ſeu *tincturæ alcalinæ* e. g. tinctura antimonii tartari- ſata, tinctura ſalis tartari, quæ in chronicis & ſic di-

Etis frigidis lymphæ deprauationibus egregie corringtont. Postea commendantur sulphureo - resinosa , quæ principiis suis subtilibus non tantum crassos humores penetrant, sed maiorem quoque saguinis commotionem efficiunt, & sic resolutionem dupli respectu præstant. Dignum enim est, vt notetur, quod ipsa natura resolutiones suas magis per motum , quam per materias, obtineat. Vnde artis quoque auxilium , eodem operandi modo concipiendum est. Quid enim pauciores guttulæ in cacochymico statu efficerent, si materiali & Physico tantum contactu resolutiones præstarentur. Quod adeo verum est, vt ipsorum diluentium licet largiter haustorum effectus impediatur, si motus subagitans non accedat, sicut autem resoluentium salino - sulphureorum ingens numerus est : ita generaliter tantum significamus, quod radices & herbæ alexipharmacæ , diaphoretico - diureticæ , item varia semina, ligna & gummata ad hanc classem referenda sint.

### §. VIII.

Ad tertiam resoluentium classem properamus , & ea remedia recensemus, quæ fermentando mucidum statum reddunt fluidiorem. Dantur huius effectus multa phœnomena in macrocosmo , præcipue autem in rebus æconomicis. Quem enim facile fugit, quod liquores spissi & mucidi e. g. mustum cereuisia , per fermentationem resoluantur, attenuentur & diaphani reddantur? Atque eundem quoque effectum in microcosmo exspectare iure possumus. Quando animi dulcia v. g. ex manna, tamarindis, melle, passulis & aliis præparata sum-

muntur: tum motus fermentativus materias mucido serofas colliquat; & a reliquis partibus abstergit. Hæc quoque docent, quod *diæta fermentescens*, si modum non excedat, adeo non sit reformidanda, quam quidem a *sylvianis* etiam num hodie fieri solet.

### §. IX.

*Quartam* denique resoluentium *classem*, quæ ultima est, perlustramus, atque in ea talia remedia offendimus, quæ *condiendo* mucidum statum corrigunt. — Dicuntur illa *balsamica*. Sicut enim *cacochymnia* mucida merito ut Status vappidus & quasi exanimatus iudicatur: ita minime negamus, quod eiusmodi condimenta balsamica vappidam humorum massam corrigere, insipidam sapidam reddere, & sic ex ignobili in nobiliorem statum exaltare possit: sed opus est, ut hic caute incedamus, & *temperatoria* tantum balsamica commendumus e. g. herb. basilicæ, maioranæ, mari veri, melissæ, menthæ crispæ, pulegii, rorismarini, scordii, serpilli, thymi, flor. lauendulæ spicæ, semina nostratia e. g. anisi, fœniculi, fileris montani. Calidiora autem quando adhibentur & insuper *diæta aromaticæ*, atque spirituosa coniungitur, tantum abest, ut speratus effectus obtineatur, ut potius eximum damnum inferamus. Sicut enim hæc balsamica, æque ac sulphureo-resinosa, de quibus classe secunda diximus, effectum suum magis per motus progressiui augmentum, quam per materialem & physicam sui contactum præstant: ita hoc facile fit nimium, ut calida balsamica sanguinis orgasmum, pathemata spastica & febriles commotiones efficiant.

### §. X.

## §. X.

Non libet iam methodum resolutionis fusius hic tradere ; Hoc autem necessario monendum ducimus, solis resoluentibus totum curationis negotium uon absolui, sed *euacuantia* quoque his esse interponenda ita ut sub resoluentium vsu, cuiuscunque tandem ex supra recensitis indolis fuerint, non tantum laxantia, sed etiam diaphoretico - diuretica interponantur. Nulla enim correcta materia cum reliquis humoribus in gratiam redire potest.

## §. XI.

Hæc si sub diæta conueniente & placido præcipue corporis motu aliquamdiu continuata fuerint, tum *tertiam* indicationem explere & per *tonicam roborationem* solidis partibus prospicere conuenit. Hoc enim nisi obseruetur, nouæ facile stagnationes & muci præcipue infarctus oriuntur atque pristinum malum introducunt. Jure autem meritoque hic distinguimus inter *fortiorem* partium solidarum *constrictionem* & *leniorem* earum *roborationem*. Illa enim multis cautionibus circumscripta est, & in paucioribus casibus locum habet; hæc autem tutioris est vsus, & plerisque morbis addit colophonem.

## §. XII.

Sed vti varia illorum genera sunt, ita quoque natura variis modis per illorum usum excitatur. Hæc enim *materiali concursu* operantur & acribus suis atque penetrantibus particulis fibras nerueas stimulant : vnde natura officii sui admonetur, vt tonum relaxatum reassumat. Huc pertinent remedia, quæ *neruina* audiunt

e. g.

e. g. rad. cyper. irid. Florent. calam. aromat. caryophyl-  
lat, cost. galang. leuist. zingiber. herb. betonic. meliss.  
maioran. menth. crisp. puleg. serpill. origan. rorismar.  
chamædryos, chama pitydis, it. flor. lauendul. spic. li-  
lior. conuall. anthos, aurant. quæ omnia in forma vel  
*essentiæ* vel *infusi* adhiberi solent. Ex compositis hodie  
visitata sunt salia volatilia cum tincturis alcalicis remix-  
ta, quo nomine egregii effectus est mixtura tonico-  
neruina STAHLII. Eodem concursu materiali effe-  
ctum roborantem præstant *gemma**ta*, *succinata*, *tenera*  
*martialia*, quæ partibus suis terrestribus tenerioribus  
tonum stringunt & motus remissos excitant. Alia au-  
tem *virtualiter*, vt dicunt, magis operantur, & parti-  
culis iam suaveolentibus, iam graueolentibus, tempe-  
rate balsamicis principium vitale exhilarando; motum  
tonicum excitent, qui quidem operandi modus pluri-  
mam partem nobis incognitus, experientia tamen satis  
confirmatus est.

### §. Xlll.

Hæc ex fonte pharmaceutico prolata sufficiant.  
Verum enim vero vnicum, quod monendum, imo  
inculandum est, adhuc restat. Videlicet *optima reme-*  
*dia methodice adhibita effectum suum vix ac ne vix quidem*  
*ultra aliquot menses extendere*. Vnde qui plenam firmam-  
que restitutionem desiderat, efficacius remedium *anti*  
*mucidum* vt meditetur, necesse est. Atque hoc in diæ-  
ta congruente, præcipue autem in vitæ laboriosæ ele-  
ctione, quærendum est. Et sic res redit in circulum,  
quæque sub initium huius capituli therapeutici ex fonte

diætetico deriuauimus , illa in fine repeti & de nouo,  
œu maxime necessaria , commendari merentur . Pro-  
fecto enim , qui gulæ & ignauiae amantiores sunt , quam  
molesti laboris : illi constantis & vegetæ sanitatis:  
gradum numquam attingent , sed cum cacochymia mu-  
cida aliaque perpetuo dimicabunt . Ex contraria au-  
tem parte tam ratione quam experientia edocemur ,  
quod illi , qui vitæ genus naturæ conforme eligunt ,  
quosque non piget nec pudet serræ , securis , ligo-  
nis & pabonis , emunetæ naris homines plerumque  
reperiantur , neque a mucidis neque ab aliis  
humorum impuritatibus facile one-  
rentur .

F I N I S.



PRÆNO-

PRÆNOBILI AC ERVDITO  
CANDIDATO

P. P. P.

P R A E S E S,

VAppidam muci intemperiem, honoratissime Candidate, in dissertatione Tua grauiter ad modum accusas: unde non ex Erasistrati sed Herophili schola egressus videris Hic enim græcanicae medicinae magnus olim, antistes in humoribus omne morborum vitium esse statuebat, ideoque ad prauam, illorum indolem corrigendam alterantia remedia ubique fere commendabat. Ille autem totum de corruptis humoribus, doctrinam penitus fere euertendo plurimarum corporis afflictionum caussas in plethoram & paremptosin, quam hodie conges-  
tionem vocares, coniiciebat, & per tenuem vi-  
etum corporisque exercitationes quantitati magis imminuenda, quam qualitati corrigenda, operam na-  
uabat; immo tantum aberat, ut mucomederi studuis-  
set, ut potius diætam, mucido statui generando aptif-  
simam, cucurbitas puta, cucumeres, melones, legumi-  
na & olera maximopere probaret. Verum enim vero

qui argumenti Tui explicationem & tractationis nem  
nun curatius perpendit : ad neutrum horum gracie  
duumuirorum , qui turpi quondam emulatione inter se  
pugnabant, Te sectam pertinere, facile contendet. Li-  
cet enim qualitatis morbos iure meritoque accuses, at-  
que illis corrigendis congrua medicamina opponas:  
ex fonte tamen plethorico hæc cacoehymiae vitia deri-  
uare potissimum studes, & ut illa exstirpes funditus,  
abundantiæ magis subtractionem, quam craseos cor-  
rectionem iniungis. Sic media via, quæ ubique fere  
tutissima est, incedendo suum cuique tribuere aequum  
iudicas. Interea beneuolo Te animo interpretatu-  
rum esse confido, si hoc messis tempore, spicilegium qua-  
si instituendo, de mucidis illis substantiis, quas Tu a-  
deo ignobiles pronuncias, bona fide adseram, quod  
reliquos humores nobilitate quadam præcurrant. Tu  
quidem, Candidate clarissime, potiorem ac princi-  
pem messis partem absoluisti, & quæ ad usum Tuum  
necessaria iudicasti, accumulasti; reliquisti autem spi-  
cas, quarum collectionem iam mihi concedes. In  
hunc finem ad caput dissertationis primum, tamquam  
ad agrum physiologicum, me conuertens spicile-  
gium quoddam tentabo. Messuisti in eo usum illum  
peculiarem, quem mucus post sui a laudabilibus hu-  
moribus secretionem passim exhibet; restat autem col-  
ligere, quam eximiam utilitatem mucidæ illæ &  
se-  
gnio-

gniores partes reliquis nimium tenuibus adferunt.  
quam diu cum sanguine adhuc coniunctæ sunt. Vi-  
delicet hæ crassiores substantiæ inuolendo, irretiendo,  
coagulando, obuiscando refrenant quasi & temperant  
reliquos humores sulphureo - salino - volatiles , quo  
minus agilitate sua noxios orgasmos & ulteriores san-  
guinis corruptiones producere possint. Quam insi-  
gnis autem & nobilis hic usus fit, contraria humorum  
constitutio in illis subiectis docet , in quibus tempe-  
ramentum cholericum excedit : in illis enim partes  
subtiliores , quia mucidis & crassis non satis inuolutæ  
sunt , insignes motuum excessus pariunt ; in moralibus  
quidem festinationes animi præcipites , in vitalibus au-  
tem commotiones humorum periculosas , & ad quosli-  
bet morbos acutos proclives. Itaque mucidae partes  
sulphureo - salinis debita proportione interpositæ opti-  
mam sanguinis temperiem constituunt. Nam ex phy-  
siologico in pathologicum agrum , quem caput dis-  
sertationis secundum adsignat , pedem promouendo in  
illo collectionem priore adbuc locupletiorem reperio.  
In physiologicis enim mobiles partes cum segnioribus  
pari passu ambulant , & mutuum sibi officium reci-  
procantque utilitatem præbent : nempe sicut segniores ,  
uti modo dictum , volatilibus obicem ponunt , & a ni-  
mia mobilitate illas prohibent , ita volatiles vicissim  
segnioribus prosunt , & excitando illas a nimia spissi-

tudine segnitieque distinent. In pathologicis autem  
longe dispar ratio occurrit. Segniores enim humores  
segnes tantum & quasi frigidos, ideoque minus peri-  
culosos morbose efficiunt: agiles autem febribus acutis,  
biliofis, inflammationibus, putridis corruptionibus,  
ominosis eruptionibus, & repentinam saepe mortem in-  
ferentibus, ansam prebere solent. Tandem tertium  
dissertationis caput ad agrum me dicit therapeuti-  
cum, ubi spicas non solitarie dispersas, sed in mani-  
pulos iam collectas offend. Cum enim morbos cura-  
re nil aliud sit, quam caussas eorum remouere, & ex-  
rationibus modo indicatis constet, quod mucidorum  
morborum caussæ sint benignæ & frigidæ quasi indolis:  
tum hisce certe edocemur, ægritudines, ex mucido  
statu propullulantes, quam diu solæ & sibi relictae sunt,  
omnium esse mitissimas, ideoquæ præ aliis per congrua  
remedia facile auferendus. Sic vides, Candidate  
nobilissime, quod mucus, quem Tu ignobilem, &  
iure quidem prædicas, certo respectu & sana inter-  
pretatione singularem laudem & nobilitatem prome-  
reatur, ideoque nobilis reliquorum humorum hospes  
possit adpellari, Ceterum de medicinæ fundamentis  
bene a Te iactis testantur collegii medici assessores, qui  
post consueta examina Doctoris præmio Te dignum  
declararunt. De exercitio autem practico in re tam  
medica quam chirurgica, pauperes huius ciuitatis  
præci-

præcipue loquuntur: horum enim ægrotos sedulo visisti, ulcera eorum sine tædio abstersisti, & vulnera lubens sanasti. Deus porro bene Tibi dicat, & officiis Tuis medicis ulteriore addat felicitatem. Vale!

Dabam e museo die III. Non. Sept.

MDCCXXXIV.

---

VIRO

NOBILI AC ERUDITO

CLAMERO HERMANNO  
HOFFBAVER

AD SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
CONTENDENTI

S. D.

GEORGIVS CHRISTIANVS MATERNVS

DOCTOR MEDICVS.

**D**iu hanc, quam hodie sum adeptus, exoptauit occasionem, de reportatis nimirum in arte medica honoribus, iisque summis, TIBI in utraque medicina exercitatissimo, & variis curacionum speciminibus claro ex animo congratulandi. Elegi-

legisti sane illud studiorum genus, quocum aliud comparari possit pene nullum: deinde ea innutritus es artis theoria, quæ, dummodo reliqua conspirent, felicissimam pollicitatur praxin. Verum enim vero, felicior illa ac magis expedita foret, si vel hypochondriacorum cohors, qui muco suo multum negotii faceſſunt, abeſſet penitus. Hoc namque hominum genus tot conſilia expoſciit, tot artifia eludit ac medici patientiam tam incredibili modo exerceſet, ut ſi quis vel hanc ob cauſam diuinam artem excolare detrectet, vitio ipſi vertendum haud sit. Infelix iſta turba tot ferme morbis teneri ſibi videtur, quoſ membris corpus humānum inſtructum eſt. Multa ſunt, verum eſt, quibus miſere diuexantur, plura autem imaginantur ſibi, morbiæ ſuæ phantasiæ, protrudendis eiusmodi monſtris aptiſſimæ, indulgentes nimium. Taceo iam tortores illorum perpetuos: cephalalgiam per intervalla, tinnitus aurium, fabros incudem tudentes mentientem, copioſum muci prouentum, anguſtias pectoris, tuffitationes, bradypepsiam, ructus, flatuſ, obſtructiones alui, dolores circa hypochondria, ſomnum interrupturn, appetitum vagum & poſtratum, grauitatem artuum, phantasiæ laſionem, iſſomnia terribilia aliaque non pauca, quibus aliquos adſici videmus idio pathice: hoc ſolum loquor, medicum non dum exiſtere, etiamſi ad mentem PETRI CASTELLI RO-

MA-

MANI, ( qui de optimo medico distincte commen-  
tatus est ) formatus esset , qui illis omnibus , de qui-  
bus queruntur , curandis , & quibus artificem onerant ,  
ferendis par sit . Dantur , qui se malo hypochondria-  
co obnoxios strenue pernegent : saepe phthisin , quam  
sibi fingunt , a medico sublatam volunt : scorbutum  
clamat & quam saepissime in ventriculum debacchan-  
tur , emetica , cathartica , carminativa postulantes ,  
insontem aduersant , traducunt , condemnant . Gens  
querula , rimax , suspicax , incredula , contumax , im-  
morigera . Quotidie patiuntur noua , si diis deabus-  
que placet . Hodie in aliqua corporis parte pungit ,  
premit , lacinat ; poscunt remedium : obtemperat  
medicus : quid efficit ? nihil . Cras alibi vicissim tra-  
bit , pulsat , rodit , urit : flagitant opem : fertur : quid  
inde ? postero die de novo membrum calet , friget , tor-  
pet . Deficit consilium ; unde vel per thermas aut  
acidulas , vel per festiuia miracula restitutionem spe-  
rant , atque per pyxides & cistas , durch gesundheits  
buehsen und gesundheits kasten , per halitus & vapores  
ex illis spirantes curari volunt . Habui , qui ap-  
petitum restitutum desiderauerunt , cum alii bulimo  
se teneri fassi sint . Quidam huius societatis , liben-  
ter in solitudine agunt , & nil nisi marent , timent  
mortem loquuntur , vitam damnant ; at sanitatem  
exoptant alii . Aliqui in conuiciandis medicis , ac

vilipendenda medicina, tamquam insufficiente, iner-  
mi, incerta, multum occupantur. Omne pene tempus  
terunt, aut PLATONIS rempublicam sibi erigendam  
sumunt: ut sexcentis aliis, quibus et stomachus et  
risus moueri posset, supersedeam. His sanguinis ven-  
tilationes placent; illis ægerrime persuadentur; et  
quod mireris, sunt, qui illas admittant, sed nihil  
minus ceu mali originem accusent, acerbe inuecti in  
medicos huius faculi ad thesaurum vitæ profunden-  
dum tam alacres. Conf. CEL. JO. JVNCKERI in  
Academia Halensi Professoris regii curiosam dissert.  
de motuum augmento post hæmorrhagias tam  
naturales quam artificiales saepius obseruando  
Cap. I. §. III. Interdum obseruantur admodum hi-  
lares, faceti, effusi, dissoluti; paulo post vero, in late-  
bras se proripiunt et hominum celebritati se subducunt.  
Non pauci ad mercurii in barometro motus sua qua-  
que dimetiuntur: luminis radios prohibent; phases  
lunæ metuunt; eclipses horrent; ventum timent;  
pluuias verentur; nubeculas obseruant ac lotii assi-  
due scrutantur colores. Mox petroselini fastidiunt  
radiculas, quas post moram iterum saepere aiunt: mox  
elixos gallinarum pullos auersantur: aroma fugiunt;  
de asfa, de lactuca, de acrodryis, de oleribus scrupu-  
loſiſſime disputant: mox dulcia abominantur: acida  
reformidant, et quod panis, quod cereuifia, quod aquæ,  
quod

quod vini genus eligendum? num calide, tepide, frigide, an sub prandio vel post illud, & quoties bibendum sit? anxie perquirunt, & tot sibi fingunt dubia, quos gustus obiecta inueniunt. Atque hinc fit saepius, ut alimentis ad famem & sitim compescendam a creatore suppeditatis frui non audeant, & reuera tales se stant quales, PLAVTVS dari negavit, ubi inquit

Nec quisquam est tam ingenio duro, nec tam firme pectore  
Quin ubi quidquam occasionis sit, sibi faciat bene. Asinar.

Et quid de optimis horum dicam? qui corpus motu exercere illumque medicinæ loco habere pollicentur? infelices isti, quod loquuntur, numquam præstant; immores illius effati, quod CLAVD. GALENVS de bonitate vitioque succorum, Cap. III. protulit: ut enim nulla maior pestis bonæ valetudinis est, quam si corpus ex toto in quiete habeatur: ita in moderato eius motu summa salus consistit. Et HIPPOCRATES de victus ratione lib. I. Sect. IV. fol. m. 7. qui comedit, nisi etiam laboribus vtatur, sanus esse non potest. Primo enim ambigunt de modo, & an equo aut curru vebi, an vero ambulando, capiti innitendo, pedibus versus cælum conuersis, (uti quidam litteratus hic loci solebat) venando, serram trahendo, manda- ta exsequi debeat, diu hærent. Deinde num iejuno id agendum sit ventriculo, vel sumta prius ientaculi por- tione? attente rimantur. Tandem scire auent, quibus

hebdomadis diebus corpus exercendum sit? quo die item-  
pore? quo in loco? qua præcise hora? quamdiu? Sed o-  
tinam his in auribus semper resonaret saluberrimum  
**COR.** CELSI monitum, quod librol. cap.l. ad infringen-  
dam quamlibet scrupulositatem omnibus suppedidat:  
Sanus homo, qui & bene valet & suæ spontis est,  
nullis obligare se legibus debet; ac neque medico,  
neque iatrolipta egere. Hunc oportet varium ha-  
bere vitæ genus: modo ruri esse, modo in vrbe, sæ-  
piusque in agro: nauigare, venari, quiescere inter-  
dum, sed frequenter se exercere. Siquidem ignauia  
corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectu-  
tem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest et-  
iam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti,  
modo vngi, modo id ipsum negligere: nullum ci-  
bi genus fugere, quo populus vtatur. interdum in  
conuictu esse interdum ab eo se retrahere: modo  
plus iusto, modo non amplius assumere: bis die  
potius, quam semel cibum capere, & semper quam  
plurimum, dummodo hunc concequat. *Excipe-*  
*rent* forsitan hypochondriaci hoc CELSI consilium ad  
se non pertinere, cum sanis datum sit, sed sanificari pos-  
sunt, si frequenter corpus exercendo spissitudinem  
humorum corrigere & ad statum sanum & naturalem  
peruenire non detrectent. Sunt porro, qui medicorum  
librorum lectioni studiose vacare solent; & hos ego in  
depo-

depositis habeo: hi quippe remediorum optionem faciunt ipsi: soli sapiunt: medicos informant, & quod pessimum est, grauissimo quovis morbo, cuius legerunt historiam, it idem se affectos credunt. Hinc multi apoplexiam sibi præsagiant; alii phthisin consummatam sentire asserunt, & ego plures voni, qui lue gallica se infectos, & sibi & aliis persuadere annisi sunt: alius vero festina sociorum persuasione inductus, phrenitide in pollice pedis sinistri se laborare, tantum non iurauit. Illos iam non attingo, qui aliquo nobiliorum viscerum se destitutos credunt, aut qui animalculorum stridentium, mintrientium, murmurantium, tetrinnientium, crocitantium greges in intestinis suis stabulantes habere contendunt, aut qui se hordei grana, aut olla testaceas esse caussantur, uti GALENVS lib. III. de loc. aff. cap. 7. fol. m. 18. obseruauit. Hoc solum additurus, quod istud agrorum genus praxin medicam tot iam stipatam incommodis, longe adhuc reddat difficiliorem atque molestiorem. TIBI autem, vir doctissime, cum in hypochondriacorum curatione ita se res habeat, sincere commiserationis affectum, & patientiae multum, in omni vero praxi DEI benedictionem ex animo appre-  
cor. Vale. Dab. Hale d. XII. Septembr.

cIcc xxxiii.

**P**rovocat ista meam felix ad carmina mentem  
Lux, ABIENS FAVTOR! terve quaterve  
TIBI.

Lux ea nimirum, specimen qua non leve profers  
Doctrinæ egregiæ, fertilis ac solidæ.

Ille dies, summos qui confert artis honores ;  
Tempora quo cingit laurea AMICE ! TVA.

Sollicita semper tractabas studia mente,  
Per dies & noctes sedulus ac vigilans.  
Dupliciter nunc quæ meruisti præmia portas,  
Namque probant, laudant, quid valeas mi-  
seri.

Ergo nihil restat, nisi tantis plaudere rebus,  
Et sic lætitiae prodere signa suæ.

Annuat ipse **DEVS** cœptis, eademque secundet!  
Ut fluat ex voto quid facis atque geris.

**CANDIDE AMICE !** bonis quæ dantur, & vttere;  
verbo :

Apprecor ex animo prospera quæque TIBI!  
Tandem quod supereft ego **VIR CLARISSIME !**  
memet

Commendo quovis tempore velle **TVO.**

*Clarissimo D. Doctorando, Amico suavissimo  
hinc voluit applaudere*

**C. E. THILO, M.C.**

Dat

**D**At Galenus opes, dat Justinianus honores,  
Sic vox inter nos quotidiana sonat.  
Non modo dat Galenus opes, sed & ad-  
dit honores

Hoc ipso facto, Fautor amande, doces.  
Quæ dudum meruisti, ea tandem præmia læ-  
tus

Doctoris summo mactus honore, capis  
En tibi nunc titulus confertur plenus hono-  
ris,

Dum Doctoratus nomina clara refers  
Succedent & opes successu temporis almæ.

Dum fructus capies uberiore manu  
Jam Phœbus sertum capiti, jam præbet hono-  
res,

Æternum ut medica nomen ab arte fe-  
ras

Gratulor, ac lætor, sint hæc solemnia festa  
Subsidio patriæ, tum tibi, tumque Tuis !

*Pauca hæc in debitæ obseruantie pignus  
ac honeste conuersationis adiicere  
voluit*

C. A. L.

**Dein**



Ein unverdrossner Fleiß erlangt jetzt seinen  
Lohn,

So kan der Tugend Glanz auch wieder  
Reid und Zeiten  
Mit unbesiegter Macht vor ihre Kinder  
streiten,

Die zeigt Dein Beyspiel an, gelehrter Musen-Sohn.

Ein mehrers schreib ich nicht. Wer weiss nicht Dein  
Studieren,

Der besten Lehrer Zahl hat Dich bewahrt gemacht  
Und durch der Lehren Kraft zu einer Würde bracht,  
Womit Dich Halle wird in wenig Tagen zieren.

Nun lebe recht vergnügt! Des Höchsten Allmachts-  
Hand  
Begleite Deinen Fuß in das erwünschte Land,  
Und lasz, wenn Bielefeld Dich freundlich aufgenom-  
men,

Dein practisch Glück und Ehr zum höchsten Gipfel  
kommen.

So wolte dem Herrn Doctorando,  
seinen Hochgeehrten Freund,  
schuldigst gratuliren

Joh. Const. Lenz,  
M. St.